

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE IN ||
PRAECIPVIS ET ALIIS TOTIVS || anni festis diebus populo in
Ecclesia proponi || solent, è ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1566

DE SANCTIS QVORVM FESTA INTER PASCHA ET PENTECosten occurrunt,
Epistola.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150282

IN FES. SAN. INTER PASC. ET PENT. 65
lam Nazarenam Iosephi sponsam, verè esse Halmah, ac Mesia
matrem, & huius filium Iesum seruatore[m] nostrum verè Imma-
nuèlem Mesiamque esse, ex Isaie vaticinio. In cuius humane na-
ture assumptione tria singularia mirabilia facta narrat Bernar-
dus. Coniuncta sunt, inquit, simul Deus & homo, mater & virgo,
fides & cor humanum.

3 Modus quomodo virgo conceperit filium Dei, describitur, ni-
mirum per fidem. credidit enim, Deo omnia esse possibilia, & an-
geli verbum Dei verbum esse. Ex hac fide (vt & Sara olim) acce-
pit vim concipiendi ex seipsa, citra viri operam, per solum spiritum
sanctum. Habemus igitur hic absolutissimum verè fidei exem-
plum, quod imitemur. Quod fiet, si itidem audito verbo Dei creda-
mus ex animo, nos & omnia nostra permittamus Deo, inque eius
fidelia obsequia nos totos prebeamus, facientes ipsius voluntatem
summa cum fidelitate & humilitate. nam sic & ipsi Christum
concipiemus, pariemusque in vitam eternam.

DE SANCTIS QVORVM FESTA

INTER PASCHA ET PENTE-
costen occurrunt, Epistola.

Iam non estis hospites & aduenæ, &c. Finis
Epistolæ, In habitaculum Dei in spiritu sancto. Ephes. 2.

PAuli mens atque ordo hic expendendus oc-
currit. Vt Ephesij magnitudinem beneficio-
rum Dei, euangelicæque ministerij gratiam
probè apud se expenderent, debitæque laude
celebrarent: narrat eis Paulus, sicut in prioribus, sic in
hisce quoque verbis, primò quales antè fuerint, nempe,
hospites siue peregrini, quos superiùs hospites tabulari
promissionis dixerat. Porro peregrinitas illa cernebatur
tum, ac etiàmm cernitur in incredulis. Partim in no-
mine seu professione, qua omnino variabant à peculio
populòque Dei. Partim in notitia, quòd nec scirent, ne-
que scire cuperent quæ ad sanctæ vrbis ciues pertinent,
vt est notio capitis siue magistratus. Nam essentiam dei
neque vnā neque tres personas continentem norant.
Voluntatem Dei quantum ad Ecclesiæ seu præsentem
seu futuram gubernationem planè ignorabāt. Et quan-
tum ad mundi gubernationem aut similiter ignorabāt,

Ephes. 2.

*Ephesij qua-
les ante fidē
fuerint.*

*Ephesij quo-
tuplici ratio-
ne peregrini*

aut si norant, tamen dubitanter aut corruptè norant. Item vt est notio legum seu sacrarum literarum, quarum nullus inter eos erat vsus, vt est notio præsidiorum ac munitionum quibus Dei filius atque angeli eius nos pios regunt, quarum nulla fuit inter eos cura. Vt est notio opum, id est, gratia, adoptionis, ac eternæ vitæ, quos thesauros illi prorsus nesciebant. Vtque postremo est notio fœderum quæ inter nos & Deum sunt per Christi sanguinem facta atque obsignata, quorum illi erant in seip, & quæ inter nos & fratres sunt per Christi inter nos communionem spiritamque instituta, quorum aequè erant tum ignari.

Partim peregrinitas illa cernebatur in affectu, quod amore nunquam vero, puro, firmo, ceu fideles solent, neque inter se nec cum Dei ciuibus cohærebant.

Partim in habitu siue moribus. Nam si res vel prosperas vel aduersas spectes, nunquam inter eos fuit talis gratitudo ac modestia, item inuocatio tolerantiaque, sicut in electis solet. Si officia studiâque spectes, nulla erat ibi talis vel mortificatio vel sanctificatio.

*Ephesij in
quilini siue
imolæ.*

Dicit præterea quod fuerint inquilini siue incolæ, quos superius alienos à Repub. Israël dixerat. Cernebatur autem iste inquilinatus partim in iure, quod in cælestibus bonis nullum, in terrenis nullum nisi mutuatum penes ipsos erat. Nam & terra propriè est fidelium, & fidelium causa tolerantur illi in præsentī vita. Partim cernebatur in societate quam cum sanctis tantum obtinebant ratione onerum, sicut inquilini simul pugnant, sed non regunt. Porro onera illa sunt calamitates quibus aequè tum affligebantur vt electi. Nam & mundus ipse se cupiditate & mutua insectatione torquet. Satan omnium tum piorum tum & impiorum malis gaudet: Deus semper suæ iustitiæ documenta edit, non autem ratione honorum. Nam nec Deo grati erant, neque Dei grata organa, neque Ecclesiæ membra, aut confortes ministri. Et talis quidem etiânum est conditio quoruncunque Ethnicorum.

Ephesij quæ 2. Secundò narrat Apostolus Ephesij quales post in Christo esse cœperint: quod & nostri causa obseruamus, nam & nos in eum statum cuncti sumus. Ephesio-

rum igitur & fideliū quorumcunque statum, quem per *les facti sint*
 Euangelij apprehensionem consequuntur, notar diuus *post acceptā*
 Paulus triplici hac figura, quod facti sint ciues sancto- *fidem.*
 rum: domestici Dei: & lapides structurę dei, id est, mem-
 bra Ecclesię Dei. nam Ecclesiā dicitur ciuitas Dei, Esa.
 60 Hierem. 13. dicitur domus Dei. 1. Timoth. 3. Heb. 3. di- *Ecclesiā ci-*
 citur & templum Dei. 1. Corinth. 3. Porro hisce verbis in- *uitas, domus*
 est incrementum. Magnū beneficiū est donari peregrinū, *& templū*
 exulem, hostem, ciuitate, & sanctorum quidem ciuitate: *Dei est.*

In qua hæc cernuntur:

Ordines omniū decentissimi, vt sunt inuisibiles præ- *Ordines ci-*
 fidentis Christi moderantis spiritus ascendentium de- *uitatis Dei*
 scendentiumque angelorum, & visibiles docētium pro- *inuisibiles &*
 phetarum, apostolorum, pastorum, auditorum consiten- *visibiles.*
 tium, inuocantium, celebrantium.

In qua etiam cernuntur leges credendarum atque a- *Leges.*
 gendarum rerum in scripturis exactissimæ.

Immunitates contra legem, mortem, satanam am- *Immunita-*
 plissimæ. *tes.*

Conuentus verbi precum, sacramentorum honestis- *Conuentus.*
 simi atque vtilissimi.

Commercia charitatis iucundissima.

Commercia.

Mœnia & præsidia contra omnes hostes validissima.

Mœnia.

Quæ & hinc amplificantur, quod & istius ciuitatis
 constitutio maximò constitit, nempe, Christi sanguine:
 quod assecutio est facillima, vt quæ omni^o sit exposita,
 atque vera fide impetretur. Quod & inhabitatio est per-
 petua, quam ne moriens quidem deserat, sed commutet
 solum, migrās, nēpe, in beatiorē vrbis locū. At obserua
 simul quod sanctorum ciuitas dicitur. neque enim quic- *Ecclesiā san-*
 quam fert pollutū, vt nec castra Israël, Apoc. 21. & 22. *ctorum ciui-*
tas.

Maius verò beneficiū est, in familiā quoque recipi,
 vbi est arctior communitas; maior notitia, diligentior
 cura, amplior communicatio. Atque eò quidem nos re-
 cipimur qui re vera prius fugitiui, prodigi, scelerati, imò
 iræ filij fuimus. Et recipimur vt celesti potiamur mē-
 sa, victu, aspectu, colloquio, fide, cōsuetudine, facultatum
 omnium iure ac quiete, idque Deo patre, Christo fratre,
 angelis seruis, sanctis familiaribus. Sed & hic obserua
 quod domestici Dei non honoris tantum vel vtilitatis,

sed obedientiæ quoque caussa appellamur. Deum igitur vereamur, Deo laboremus & negotiemur.

Beneficium maximum est habitaculum Dei fieri. Maximum autem beneficium est, & habitaculum Dei fieri, in quo ipse Deus gratia & omnigenis suis donis resideat. Nemo autem sit eiusmodi templum Dei, nisi pars & magni templi sit, de quo Apostolus hîc & postea 4. cap. loquitur, in quo breuiter hæc cernuntur.

Ecclesie fundamentum imum, angelus, apex & supremum caput, Christus. Fundamentum imum: angulus siue nexus circumquaque vniuersi ædificij. item apex & supremum caput, solus dominus noster Christus.

Architecti. Architecti: Sûmus dici potest Spiritus sanctus, quem Ecclesia solum pro magistro summo habet. Nec diuersum est, quod Christus se magistrum solum vocat. Medici ac *συνεργοι* sunt Prophetæ, Apostoli, Pastores, & ministri omnes, quorum opera spiritus sanctus vitur.

Materia ex qua. Materia ex qua ædificium fit, sunt lapides seu credentes omnes, qui de petra Petri fiunt, solidique soli manent, cæteri vt in limo hærent, & arenæ innituntur, sic & ipsi nihil sunt quam limus, quam arena, puluis, gluma.

Materia per quam. Materia per quam ædificium fit, est verbum quod ab aliis rectius atque purius, à nonnullis peius & impurius adhibetur. Item sacramenta, quæ iam melius, iam corruptius applicantur. Quoad probè vsurpantur, faciunt ad structuram: quoad secus, igni tandem quasi tempestate diruuntur. 1. Corinth. 3.

Opera. Opera quæ insumitur in secundo siue poliando, est prædicatio poenitentiae, qua ad basin siue Christum homines adducuntur. Opera verò quæ insumitur in collocando siue extruendo, est prædicatio reconciliationis, qua vt perdita ouis humeris, ita ipsi basi sue Christo imponuntur.

Forma. Forma collocationis, si spectemus basin, est cuiusque fides qua incumbit Christo. Surgens ædificium est conformitas nostræ fidei, qua cum omnibus sanctis qui nos præcesserunt, maximè verò cum prophetis & apostolis (qui non operarij tantum, sed & pars sunt ædificij) consentimus. Propriissimus noster situs, est cuiusque singularis labor & vocatio, qua pro fidei ac donationis Dei modo stationem suam seruat atque obit. Forma symmetriæ, hoc est, commensurationis, partim est & ex-

Situs.

quatio & consensio fidei & amoris, partim splendor inde proficiens innocentiae seu bonorum operum.

Finis quo ad exedificationem nullus erit ante extremum diem. Semper enim surgit ædificium quoad profectum absolutum: quo momento simul aderunt & extremus dies, & æterna gloria. Finis verò quo ad usum, est inhabitatio Dei, qui in tali templo residere, & complere donis vniuersam suam domum ceu in festiuiissima Pentecoste cupit. Contra illud ædificium frustra parant suam turrim Babyloniam, frustra struunt aduersarij. Portæ inferi non præualebunt aduersus illud, Matth. 16.

Turris Babylonica frustra paratur contra Dei templum.

DOCTRINA.

Contemplemur igitur etiam nos in eo speculo, veteremque sortem cum donata conferamus, ut illius deploratione in huius prædicatione accedamus, & hic ut ciues sanctorum, domestici & templum Dei credamus & viuamus, quoad plenè in altera vita honores consequamur.

EPILOGVS.

1 Apostolus proponit bona per Christum (ipsissimum fundamentum apostolorum ac prophetarum) nobis Gentibus communicata & parta: quæ nempe sunt, quod nos qui olim eramus hostes & aduene, hoc est, à gratia ac salute alieni exclusi; iam sumus conciuues sanctorum, & domestici Dei per Christum facti, hoc est, vocati, reconciliati, sanctificati & saluati.

2 Lapis angularis & fundamentum primum Christus, qui nos superstruxit super fundamentum apostolorum ac prophetarum, hoc est, super semetipsum, à propheta prædictum & apostolo prædicatum: quo omnes sancti vnice nituntur, & in quo omnium spes recumbit. Is, inquam, superstruxit nos super semetipsum, hoc est, infirmitates, iniquitatesque nostras portauit & dependit, suorumque meritorum nos per fidem ac sacramenta fecit participes, Isa. 53. 1. Pet. 2. Tit. 3. Est igitur, unde gratias ei agamus perpetes, est quoque unde ex animo exultemus & letemur semper.

3 Finis in quem tantis bonis nos Christus cumulauit, est, ut tanquam lapides viuus illi superstructi, succrescamus in ædificium spirituale, hoc est, in templum sanctum domini. Sumus igitur & nos in finem hunc Christo superstructi, ut per inhabitantem in nobis spiritum sanctum, templum ac domicilium Dei simus, hoc est, corpora & corda nostra ipsi sanctificemus, ipsumque in nobis per fidem & charitatem habeamus habitantem.

IN FESTIS & ANCTORVM
IN FERIIS IISDEM EPI-
STOLA ALTERA.

Proverb. 10
& Ecclesia
stici 44.

*Benedictio domini super caput iusti, &c. Finis
Epistolæ: Et induit eum dominus coronâ gloriæ.*

Benedictio
à sinistra.



Benedictio Domini
super caput iusti. Hæc domini benedictio quosdam dicit
bonis temporalibus, quosdam verò spiritualibus. Siqui-
dem benedictio domini diuites facit. ditauit enim bo-
nis temporalibus Laban apud quem Iacob seruiuit 14
annos. dicebat enim illi Iacob, Antequam venirem ad
te, parum habuisti, & ecce diues effectus es, benedixit-
que tibi Deus ad introitum meum, Gen. 31. Et hæc est be-
nedictio à sinistris: in sinistra enim illius diuitiæ & glo-
ria. Sed quid profuit nobis superbia, inquit, aut diui-
tiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt om-
nia sicut umbra, Sap. 5. Piscantes ad hanc sinistram, casso
labore spe sua persæpe frustrantur, Iohan. 21. vnde & ar-
denti diuiti in inferno dicitur: Recordare fili, quia rece-
pisti bona in vita tua, &c. Luc. 16. Benedictio tamen ista
plerumque cedit his quos mundus vbique cæteris præ-
fert ad dextram. Sed quia futurum est, (nimirum sic dis-
ponente Deo) quòd primi nouissimi, & nouissimi primi
erunt, cancellatis quodammodo manibus, minori Deus
dextra, maiori verò sinistra benedicit. Aperit quippe
manum suam, & inplet omne animal benedictione,
Psal. 144. Diligit enim omnia, & nihil odit eorum quæ
ipse fecit, Sap. 11. ideòque & iumentis dat escam ipsorum,
& pullis coruorum inuocantibus eum. Pascit & potat
ingratos, & pluit super iustos & iniustos, Matth. 5. Istis
ergo à sinistris benedicit, quemadmodum & patriarcham
Iacob fecisse legimus. Is enim interpellatus à Ioseph fi-
lio suo, vt suis filiis Manasse, videlicet, maiori à dextris
constituto, & Ephraim minori à sinistris, priusquam ipse
moreretur benediceret: cancellatis brachiis maiori filio
sinistra, minori autem dextera benedixit, Gen. 49.

Quosdam verò Dei benedictio, bonis ditat spiritibus. Sunt enim, vt ait Sap. Ecclef. 44, homines diuites in virtute, quos pretiosis Deus diuitiis locuplerat, vt requiescat super eos (vt Ifaias ait cap. 11.) Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleat eos spiritus timoris domini. Et hæc est benedictio à dextris Dei, apud quam longitudo dierum consistit, Proverb. 3.

*Benedictio
Domini à
dextera.*

Siquidem hæc dona pretiosæ & veræ diuitiæ sunt. Opes autem huius seculi diuitiæ non sunt, quæ nostræ mentis inopiam non depellunt. Nec nostræ sunt quæ nobiscum remanere nõ possunt. Ergo veræ diuitiæ non sunt opes, sed virtutes. Huiusmodi benedictionem, nequaquam Testamenti veteris legislator Moses dare potuit, sed summo duntaxat legislatori Christo, id munus seruabatur. Quod Propheta prauidēs ait Psal. 83. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Hæc est benedictio Ephraim minoris, videlicet, & ad sinistram collocati, cui tamen per manuum cancellationem benedictio potior à dextra cessit: humilibus enim dat gratiam qui superbis resistit, 1. Petr. 5. Et mysteria sua quæ à sapientibus & prudentibus abscondit, paruulis reuelat celestis Pater, Matth. 11.

2. Secundò ostendit sapiens Sirachus quòd hæc benedictio duo confert, hereditatem, scilicet, & gratiam. Vnde consequenter de primo subdit: *I deo dedit illi dominus hereditatem, & diuisit ei partem in tribus duodecim.* Si hæc ad beatum Apostolum N. referas, vtique palàm est Dei benedictionem abundè collatam ei fuisse, per quam & celestem hereditatem, & in sacro electorum Apostolorum numero duodenario consecutus est partem & Apostolicam dignitatem. Cui etiam non mediocrem mundi partem in sortem prædicationis Deus ipse diuise, hoc pulchrè deducente Apostolo. Roman. 10. ex Psal. 18.

Verum si id quod dictum est, de quouis iusto accipias, tunc aduertendum est, quemadmodum per diuinam benedictionem, hereditatem & gratiam ipse consequatur. Vnde notandum est, quòd sicut hereditatis

*Hereditatis
consequutio-
nem quid
præcedat.*

*Tribulatio
utilis.*

consecutionem præcedit benedictio, ita etiam benedictionem præcedit palpatio : vt per eam innotescat num filius sit, & dignus benedictione & hereditate, necne. Isaac patriarcha filium suum benedictione consecraturus; accede, inquit, huc primum vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non, Genes. 27. Tactus iste per aduersitatum & tribulationum immisionem correctionis paternæ censura est. Corripies me, inquit Ezechias, & viuificabis me. in talibus enim vita spiritus mei, Isa. 38. Et Iob 5. Increpationem domini ne reprobes, quia ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt. Hinc etiam per Salomonem dicitur Prouerb. 3. Disciplinam domini ne abijcias fili mi, nec deficias cum ab eo corripieris. Quem enim diligit dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Quam sententiam sequutus Apostolus Heb. 12. scribens ait, Fili mi noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate, tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, adulteri & non filij estis. Quisquis ergo exceptus est à participatione flagellorum, exceptus est etiam à numero filiorum. Quisquis etiam huius patris attractionem seu palpationem hanc sustinere rebellionem superba recusat, nec agnoscetur pro filio, nec cælestem vllatenus consequetur hereditatem, Salomone hoc attestante cum ait Prouerb. 1. Eo quod exosam habuerunt disciplinam, & timorem domini non susceperunt, inuocabunt dominum, & non exaudiet eos, mane consurgent, & non inuenient eum. Quibus etiam per Ezechielem cap. 16. à domino dicitur, Recessit zelus meus à te, iam non irascar tibi.

Quod autem per hanc benedictionem, non modò æterni Patris hereditatem, sed etiam apud omnes vbique gratiam consequamur ostendit consequenter dicens: *Et inuenit gratiā in conspectu omnis carnis* Quod duobus modis potest exponi. Primò sic, dei munere gratus acceptusque extitit vniuersis, iuxta q̃ per Salomonem dicitur Prou. 16.

Cum placuerint viæ hominis deo, inimicos quoque eius conuerter ad pacem. Deinde hoc modo potest exponi: *Inuenit gratiam in conspectu omnis carnis*, id est, palam est omni carni, quod inuenit gratiam apud deum, iuxta quod ex persona dānatorum de iustis loquentium scriptum est Sap. 5. Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est.

Porro non solum diuinæ benedictionis effectus est hereditatis adeptio & gratiæ consecutio, sed insuper, etiam magnificatio & glorificatio, de quo subditur: *Magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstrauit eum.* *Glorificauit eum in conspectu regum, & ostendit illi gloriam suam, Ecclesiastici 45.* Profecto magnus est cui succumbunt inimici, præsertim inuisibiles, & nihilominus visibiles, scilicet, homines maligni. Tam enim dæmones ipsi, quam mali homines, iustorum timent & verentur sanctitatem. Porro monstra quæ verbis suis iusti placant seu perdomant, vel ipsas brutales carnis concupiscentias accipere possumus, vel alia quæcunque indomiti vitia animi, quæ sancti rationis imperio frenant subiiciuntque: vel certe prauos homines & impios, quos sancti doctrina & animi mansuetudine, plerunque perdomitos ad rectos mores perducunt.

Denique diuinæ benedictionis effectus est glorificatio. *Glorificauit eum in conspectu regum.* Nimirum reges sunt, qui acceperunt regnum decoris, & diadema speciei de manu domini: sed & regum nomine non immerito censentur, qui carnis appetitui, & inferioribus animæ viribus, rationis imperio principantur, quibus dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. In horum ergo conspectu regum, iustos suos deus glorificat, cum illos similes facit in gloria sanctorum: laus enim erit vnicuique à deo. 1. Corinth. 4. laus vtiq; à laudatore magno, vnde & ambienda vehementer.

Possumus etiam regum nomine huius seculi mortales principes intelligere, coram quibus sanctos suos plerunque deus usque adeo glorificat, vt vestigia pedum ipsorum osculari se exultent, & sacras eorum reliquias vel magnificis extructis templis, vel margaritis aut auro res, argenteoque contendant honorare. Quæ etiam sanctorum

*Magnus in
veritate
quis sit.*

*Reges morales
liter qui
sunt.*

*Sancti regibus
seculi
sunt maiores.*

gloriam longè suis præferre sceptris & sedibus non dubitant. Et verè gloriosi & à deo glorificati sunt, quorum longè latèque, cum illustri laude clara noticia est. Venerandum quippe seculo nomen & meritis & morte pretiosa sibi comparauerunt. Proinde quis non gloriosos confiteatur eos qui vident deum, & quibus ostendit gloriam suam? Ex quorum persona Apost. ait. 2. Corint. 3. Nos autem reuelata facie gloriam domini specular-tes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu. Nam cum vidēbimus eum sicuti est, inquit B. Ioannes I. cano. 3. cap. Scimus quia similes ei erimus. Nec mirum, cum iam nunc beati sic deo sint inhabitante pleni, & ita in dei similitudinem transformati, vt à se defecisse & in eum, quo ineffabiliter fruuntur. transisse putentur, quemadmodum ferrum totaliter ignitur in naturam ignis, & aquæ gutta mero infusa in illius speciem & naturam transisse omnino videntur, & à sese ac sua specie defecisse.

Per duo
disponitur
homo ad salu-
tatem.

3. Tertiò hic notanda occurrit conueniens ad salutem in homine dispositio, cum dicitur: *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, &c.* Non enim sufficit homini ad salutem diuina præuentio, quòd videlicet deus hominem iustificandum præuenit in benedictionibus dulcedinis, nisi etiam & ipse cooperetur. Vnde per Salomonem dicitur, Prouerb. 17. Hominis & animum præparare, & domini gubernare linguam. Et post pauca: Cor hominis disponit viam suam, sed domini est dirigere gressus eius. Debet autem homo à Deo sanctificandus animum præparare per hoc præsertim, quòd deo perfectè subiicitur, tam quo ad intellectum, quam quo ad affectum, quòd utique per hæc duo fit, quæ sunt fides & lenitas. Fides enim deo subiicit intellectum, lenitas autem voluntatem seu affectum. Accipitur autem hoc loco lenitas pro mansuetudine, seu animi tranquillitate. Hinc enim per sapientem dictum est, Ecclesiastici 11. Beneplacitum est deo fides & mansuetudo. Si quidem per hæc duò animum suum homo præparat, ac sese totum subiectum reddit Deo, vt in ipso secundum arbitrium suæ bonitatis operetur. Contrà verò & sine

fide impossibile est placere deo, & is qui mansuescere recusantes obdurauere corda: deus in ira sua iurauit, quod non intrabunt in requiem suam, Hebr. 11. Psal. 94. Exemplo est tam angelorum ruina quam prothoplastorum. Qui quoniam per obedientiam mansuescere & se deo subiicere noluerunt, in perditionem delapsi sunt. Hinc etiam in Euangelio veritas loquitur, d. Math. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum celorum, &c. Quod etiam ratione astruitur. Cum enim aeterna beatitudo maius bonum sit eo, quod vel sensu corporeo cognosci, vel humana possit ratione comprehendi (dicente Apostolo. 1. Corinth. 2. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod prae-parauit deus his qui diligunt illum) idcirco nisi se homo subiiciat quo ad intellectum credendo assertioni diuinæ de his rebus, quæ non valet intellectu comprehendere, ad bonum illud pertingere non meretur. fides enim est de his quæ rationem humanam excedunt. Vnde cum interrogaretur à discipulis suis Dominus quis posset saluus fieri, respondit, Apud homines impossibile est, omnia autem possibilia sunt Deo, Math. 19. Et alio loco cuidam ait: Si credis, omnia possibilia sunt credenti, Marc. 9.

Consequenter ponit sapiens professionem virtuosum hominis sancti & saluandi per dei gratiam, cum subdit: *Et elegit eum ex omni carne.* Illa videlicet carne, de qua ipse ait, Gen. 6. Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est. Ideo elegit eum ex omni carne, ne periret ipse cum omni carne. Omnis quippe caro foenum, & omnis gloria eius quasi flos foeni, Isa. 40. Foenum autem hodie est, & cras in clibanum mittitur, Mat. 6. Hoc est, in gehennæ incendium. Hoc est foenum testorum in alto vanitatis nascens, in arido figens radices, quod priusquam per mortem euellatur, per defectum gratiæ celestis exaruit, Psal.

Elegit etiam eum ex omni carne, id est, ex cōragiosa carnalium hominum societate, ne & ipse simul vnā cum ipsis periret, sicut & ad Loth in Sodomis habitantem ab angelis dictum est, Egredere, ne & tu pereas

*Ex omni
carne à deo
eligi.*

in scelere ciuitatis huius Gen. 19. Ab omni denique rerum mūdānarum & carnalium voluptatum amore peruerso, deus iustum & sanctum suum exemit & elegit: quemadmodum egregij fructus planta in deserto nata eligitur, atque horto concluso plantatur: Ita elegi, inquit, vos, & posui vos vt eatis & fructū afferatis, & fructus vester maneat, Iohan. 15. Nisi enim ab inconcessa carnis voluptate segregentur, sancti spiritus habitaculum effici nequaquam possunt. Scriptum quippe est, Sap. 1. In maleuolam animam non introibit spiritus sapientiae, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Sequitur:

Et dedit illi cor ad praecepta, & legem vitae & disciplinae. Dedit illi cor, hoc est, inclinationem ad ea quae bona & recta sunt, donū hoc à deo petitur, qui ait. Inclina cor meū deus in testimonia tua, Psal. Et alius quidam vir sanctus precatus est dicens, da domine quod iubes, & iube quod vis. Et dominus ipse per prophetam Ezechiel. 36. Auferam, inquit, cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneū, & faciam vt in praeceptis meis ambuletis & operemini. Siquidem cor regis in manu domini, quocunque voluerit inclinabit illud, Prouer. 21. Lex autem vitae, doctrina Christi est, sicut ipse ait, Iohan. 6. Verba quae ego loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Et rursum, Iohan. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij dei, & qui audierint viuēt. Vnde quoque Petrus ad Christum loquens ait: Domine verba vitae aeternae habes, & quod ibimus: Iohan. 6. Et rursus per sapientem, Prouerb. 13. dicitur: Lex domini fons vitae, vt declinet à ruina mortis.

Porro quoniam plerique pigrorum animalium more stimulis & virgis agi quodammodo debent, idcirco ad legem vitae, etiam lex disciplinae superadditur. Quibusdam enim sola vexatio dat intellectum, erudiet illum, inquit, in iudicio, deus suus docebit illum, Isa. 28. Vnde etiam per heremiam dominus loquitur cap. 6. dicens, erudire Ierusalē, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam. Et iterum, Per omne flagellum, inquit, erudieris. Et rursus cap. 32. de his qui nec per disciplinam resipiscunt ait, verterunt ad me terga, & non

Augustinus.

*Lex vitae
quae sit.*

Lex disciplinae.

facies suas cum docerem eos & erudirem diluculo, & nollent audire ut acciperent disciplinam. Sed quid eis comminetur sermo diuinus aduerte. Ait enim Leuit. 26. Quod si nolueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra aduersus vos incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium, ultorem foederis mei. Itaque prout. persuadet Apostolus, in disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se deus, Heb. 12. Omnis enim disciplina & si in presenti quidem videatur non esse gaudij, sed meroris: Postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. Igitur non irae dei, sed misericordiae est iudicium, aberrantes a recto, disciplinae flagello in viam dei reuocare: Vnde & confitentes iustos dixisse legimus. 2. Machab. 6. Non finire peccatoribus ex sententia agere, sed statim iustam ultionem adhibere, magni diuini beneficij iudiciu hoc esse.

Proinde quia magnus est cui deus dat cor ad praeparata, & quem per legem vitae & disciplinae gubernat, recte subiungitur: *Et excelsum fecit illum.* Hinc enim ait vir secundum cor dei, quem disciplina domini corripuit in finem. Perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me. Et rursus per Isaiam dicitur cap. 33. Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquae eius fideles sunt, regem in decore videbit, oculi eius cernent terram de longe, &c. Sequitur, *Statuit illi testamentum aeternum,* Hoc est testamentum pacis quod morte sua nobis dominus confirmauit: Pacem meam, inquit, do vobis, Iohan. 14. Et alibi ait: Testamentum meum fidele ipsi, Testamentum hoc disposuit electis suis. Longe tamen est testamentum hoc a quibusdam: Sed is cuius cor & voluntas recta est cum domino ut ambulet in lege eius, veram habet pacem, non modo cum domino deo, sed etiam cum proximo, & cum semetipso, iuxta quod ait propheta, Pax multa diligentibus legem tuam. Sequitur,

*Magnus est
fictur qui le
gi vite &
discipline
acquiescit.*

*Testamentum
pacis.*

Et circumcinxit eum zona iustitie. Iustitia non incongruè zona appellatur. Nā sicut se zona præcingit, vel qui vult operari, vel qui ambulare, vel qui pugnare debet, ita nimirum iustitiæ virtus necessaria est meritoriè operanti, spiritualiter proficienti, & quasi ad repromissam viuentium terrarum proficiscenti, & contra hostem antiquum, & cunctas huius mundi & carnis illecebras viriliter decerranti. Iustitia indutus sum, inquit vir sanctus, & vestiui me sicut vestimento, Iob. 29. Porro de homine iniusto & iniquo quid sermo diuinus pronuntiet animaduerte. *Induit, inquit, maledictionem, sicut vestimentum, & intrauit, sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Psal. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur. *Sequitur: Et induit eum Dominus coronam gloriæ.* De hac corona per Isaiā, 29: dicitur, Erit dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui. Et rursum in persona redemptoris nostri de seipso loquentis idem propheta ait: Spiritus Domini super me, eo quod vnixerit me, Ad annuntiandum mansuetis misit me, &c. Currunt amatores huius sæculi & cõtant vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem, inquit Apostolus, incorruptam. 1. Corinth. 9. De hac B. Petrus ait. 1. cap. 5. Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Sed ad hanc coronam non nisi per labores, tẽtationes & certamina peruenitur, sicut. B. Iacobus ait cap. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniā cum probatus fuerit accipiet coronā vitæ, quam repromisit deus diligentibus se, & perseverantibus in dilectione vsque ad mortem, iuxta quod vnumquemque dominus admonet, dicens Apo. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Si regni alicuius terreni & corruptibilis corona proponeretur labore & humana industria promerenda, quanti se certatim ingererent, huius corona lucrifaciendæ gratia nullum laborem non subeuntes, nulla pericula formidantes. Rursus si mille aut eò amplius annorum vita mortalibus in hoc mundo quantumvis magnis laboribus obtinenda proponeretur, quàm multi hanc desiderarent, quantòque pretio non segniter eandem si fie-

Corona vitæ qualiter obtinetur.

Similia.

ri posset emerent, quam tamen variis aduersitatum ca-
sibus plenam, & innumeris respersam amaritudinibus,
tediis, & ærumnis esse constat. Quanto igitur maiori
studio ad illam coronam, & regnum illud sine fine bea-
tum, cunctis est credentibus properandum? Non sunt
enim condignæ passionibus huius temporis, ad futuram
gloriam quæ reuelabitur in nobis, Roma. 8.

EPILOGVS.

1. *Laus virorum sanctorum depingitur, qua Deus gratuitis eos
preuenit benedictionibus, nec non bonis ditat spiritualibus, iuxta
illud Prouerb. 10. Benedictio domini diuites facit.*

2. *Benedictionis diuine effectus est non solum hereditatis ado-
ptio & consequutio gratiæ, sed insuper etiam magnificatio & glo-
rificatio, Rom. 8.*

3. *Quicquid nos quum ad virtutis perseverantiam tum perennis
gloriæ securam felicitatem promouet, potissimum Dei gratiæ at-
tribuendum est. Nam gratiæ & gloriam dabit dominus, ait Psal.*

IN IISDEM FERIIS SANCTORVM

EVANGELIUM.

*In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum vitis vera, &c. Finis Euangelij: Et gaudi-
um vestrum impleatur.* Iohan. 15.

IN hoc Euangelio depingit Christus Ec-
clesiam: & ostendit tria: Primò, quis sit vi-
nitor, siue agricola, nempe, Deus pater. Si-
cut enim agricola de agris suis sollicitus est,
& vinitor vineam suam semper habet in memoria, si-
ue dormiat, siue vigilet, quanquam aliquando extrinse-
cus videatur (præsertim in hyeme) planè nullam cu-
ram vineæ habere, non tamen eius obliuiscitur: sic pater
caelestis etiam aliquando dissimulet se vineam suam respicere
hoc est electos, nunquam tamè ipsos relinquit, aut eorū
obliuiscitur, nunquam non pro ipsis sollicitus est, atque
adèd tunc maximè curat, quum minimè videtur curare.
Hinc in Isaia 54. dicit, Ad punctum in modico relinqui
te, & in miserationibus magnis colligam te. Sæper enim
respicit & curat vehemèter suos. Non tantum eos creat, Semper ra-
spicit & cu-
rat vehemè-
ter suos Deus

*Agricola
siue vinitor
Deus pater.*

*Semper ra-
spicit & cu-
rat vehemè-
ter suos Deus*

verum etiam pascit, nutrit, gubernat, atque ad ætatem adultam deducit. Testatur hoc iterum scriptura, nam quotidie orantes dicimus diuina institutione formati, Pater noster qui es in calis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, &c. In qua oratione fatemur edocti à fratre nostro Christo, Deum patrem nostri curam gerere, eumque esse qui omnia quæ ad victum & amictum, quæ ad corpus & animam pertinent, nobis conferat. Hoc etiam docet illud Isaia 49. Nunquid oblitisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamē non obliuiscar tui, &c. Ecce in manibus meis descripsi te, &c.

Vitis Christi.

Deinde ostendit quæ sit vitis, nempe, Christus. Sicut enim vitis etsi in hyeme sola & sine palmitibus videatur, tamen æstate superueniente in plures palmites erumpit: sic Christus etsi tempore peregrinationis suæ pauci in eum crederent, & in passione hyeme solus & ab omnibus relictus videretur, transacta tamen hyeme, & appropinquante æstate resurrectionis, statim priores eius palmites restoruerunt, & alij accreuerunt, adeo vt tempore ascensionis iam essent centum viginti palmites, Act. 1. In ipso autem die Pentecostes accrescerent tria milia, Act. 2. Denique adeo copiose hæc vitis in palmites erupit, vt breui totam terram occuparit. Nam vnus Paulus palmites eius extēdit vsque ad Illyricum, Rom. 15. Deinde sicut vitis succum suum in palmites transfundit, & frugiferos facit, omnemque suam naturam & nobilitatem in palmites emittit: sic Christus de suis bonis transfundit in eos qui sacramenta suscipiunt, & in

*Omnia quæ
habet Christi
suis suis com-
municat.*

Psal. 103.

charitate perseverant. Omnia quæ habet, fidelibus communicat, succum gratiæ, vinum illud verè latificans cor hominis, spiritum scilicet sanctum: communicat illis nomen suum, hæreditatem suam, denique quantum fieri potest, etiam naturam suam, vt & nos dicamur & simus filij Dei, si non natura, certè adoptione. Testatur hoc scriptura. Nam Iohan. 1. dicitur quod nos omnes de plenitudine eius acceperimus gratiam pro gratia. Et Paulus Ephes. 4. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, Rom. 12. 1. Corinth. 12. 2. Cor. 10. Hebr. 13. Participes enim Christi effecti

fecti

fecti sumus. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ confortes naturæ. *2. Pet. 1.*

Præterea ostēdit qui sint palmites, nēpe, omnes Christi fideles. Sicut enim palmites à vite resecti arescunt, & collecti in ignem mittuntur: sic Christiani à Christo deficientes, nisi respiciant, gehennæ traduntur. Testatur hoc scriptura nā Mat. 3. dicitur Omnis arbor quæ nō facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Palmites omnes Christi fideles.

Docet autē hæc rustica similitudo, quod Pater in creatione nos fecit, in regeneratione sanctificauit, & virtutibus atq; studiis quotidianis excolēdo facit in horas meliores, Non enim cessat, nisi nos cessemus, sua virtute interna, & suo sancto verbo externo, extirpare mala semina ex veteri Adam nobis relicta, charitate corda purificare, virtutum semina in nostris cordibus seminare, quotidiana gratia ipsa, vt ad luculentam frugem perueniant, irrigare: non cessat expectare fructus bonos. Vtinam nō dicat de nobis illud Isa. 5. Quid vltra facere debui vineæ meæ, & non feci? Expectaui vt faceret uvas, &c. Item Ierem. 2. Quomodo conuersa, &c.

Similitudo hæc rustica quid nos doceat.

Docet item quod Christus non sibi natus, nec circumcissus, non sibi passus, nec mortuus, nec sibi legem obseruauit: sed quicquid meriti, gratiæ & dignitatis habuit, hoc nobis pro nostra capacitate communicat, non in imputatione, sed interna spiritus communicatione.

Christus nobis natus, circumcissus, passus, & mortuus, et quid

1 Docet tertio quod Christiani quandiu manent in Christo, sunt fecundi, operaque pietatis digna gratia vitæque æterna fructificant.

meriti gratiæ, & dignitatis habuit, hoc nobis communicat.

2. Secundo ostēdit quid vinitor sit facturus palmitibus, i. frugiferis, hoc est, feretibus fructu: nēpe, purgabit eos, vt copiosiorē fructu ferant. Habēri dabitur, inquit Mat.

Christiani quādiu manent in Christo, sunt fecundi.

25. Sic Noë quū diluuij calamitatē vider (Ge. 7.) Ioseph quū in carcerē adducitur (ibidem. 39.) Dauid quū in exiliū à filio pellitur (2. Reg. 15.) Ezechias quū Ierusalē obsidetur (4. Reg. 19.) Daniel quū in lacum leonum mittitur (Dan. 6.) Paulus quū passim ab omnibus oppugnatur (2. Cor. 1. 11.) & Ignatius quū leonibus ac be-

Palmites frugiferos vinitor purgat,

stiis obiicitur: purgantur. Tunc enim purgamur, quū aduersus Deum in tribulationibus non fremimus, non indignamur: sed retinemus fidem, charitatem, ac susten-

*Quando pur-
gamur.*

tamur spiritu sancto, ne opprimamur dolore aut' desperatione, sed cum tribus illis pueris Hebraeis dicimus in medio ignis tribulationis, Benedictus es domine Deus patrū nostrorum, & laudabile & gloriosum nomen tuū in secula: quia iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, &c. Peccauimus enim & iniquē egimus, &c. Danie. 3.

*Fideles om-
nes opus ha-
bent quoti-
diana pur-
gatione.
Psal. 118.*

Purgat igitur pater pios homines à reliquiis peccatorum. Nemo enim etiam si sanctus sit, immunis est à peccato quandiu viuīt in hoc mundo. Opus igitur habent quotidiana purgatione. Hinc & Dauid ait, Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus. Et iterum, Inclina cor meū in testimonia tua, & non in auaritiā. Auertere oculos meos ne videant vanitatem. Deinde purgat eos, hoc est, humiliat & deprimīt. Sicut enim palmes si nō putetur, in nimiam altitudinem crescit, ac per hoc omnem succum in ramos & folia infumit, sic quod fructū ferre nō potest: ita caro si pro sua libidine, etiam in sanctissimis ferretur: Deus, si fieri posset, contumacia carnis ē diuino maiestatis suæ solio deturbaretur. Audi enim in quantā altitudinem & superbiā excreuerit rex Babel, Isaia 14. Ascendam, inquit, in cælum, & similis ero altissimo. Itē: Quis est Deus in cælo, qui vos eruat de manu mea? Daniel. 3. Non dissimilia loquitur rex Tyri: Deus, inquit, ego sum, & in cathedra Dei sedeo, &c. Usque aded turgescit caro beneficiis saginata, & interim nō putata aduersitatibus & cruce. Sic piis hominibus nonnunquam

*Natura hu-
mana sem-
per alta ex-
petit, Super-
bia omnes
fructus bo-
nos vitiat.*

ex virtutibus & donis crescit superbia. Natura enim nostra semper alta expetit. Atqui superbia omnia opera nostra & fructus nostros vitiat. Nihil enim gratum est nisi quod ex humili corde procedit, vt patet in Luca, 18. Itaque pater agricola credentem purgat & humiliat. Primò, interdum id de quo gloriabatur homo, amputat & aufert, hoc est, dona sua: & hominem cadere permittit. Sic Petrum cadere permisit, vt nō gloriaretur de viribus suis, Matthæi 26. Alioqui si Petrus non cecidisset, quantum tribuisset suæ fortitudini, qui ante casum tanta præsumebat: Etiam, inquit, si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Hic igitur opus habebat putatione, ne altius crederet. Deinde etiam ad-

*Petrus opus
habuit puta-
tione.*

uerfis & cruce suos purgat, & humiliat Deus, ne nimium insolescant. Hæc igitur est spiritualis illa circūcisio, quæ toties commemorat Paulus, quæ non consistit in litera, sed spiritus: quæ non semel tantum fit, sed per totam vitam. Et hæc quidem purgatio vel putatio citra dolorem non fit. Omnis enim disciplina (dicit Apostolus Heb. 12.) in presenti non videtur esse gaudij, sed mœrois: (quemadmodum in Isaia 4. cap. dicitur, Purgabit dominus sordes filiorum Israël in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.) postea autem fructus pacatissimos adfert exercitatis per eam. Hinc & David Psal. 118. Bonum mihi, inquit, quod humiliasti me. Et iterum Psal. 93. Beatus quem tu corripiueris domine, &c. ut mitiges ei à diebus malis, quibus scilicet impij perdendi sunt. Ideo subditur,

Putatio

*seu purgatio
fructus pa-
catissimos*

adfert.

Ut fructum plus asserat. Vbi manifestè vides quod dominus non affligit ut perdat, sed ut sanet, quemadmodum Deus non affligit nos ut perdat, sed ut sanet. Hinc Iere. 17. Castiga me domine in iudicio: tamen non in furore. Et Sapiens Prouer. 3. Noli negligere disciplinam domini. Quem enim diligit corripit, &c. Hoc idem ad longum docet Paulus Heb. 12. Duplicem igitur ex hoc verbo possumus habere consolationem, imò triplicem in aduersis. Primò, quod Christus afflicciones nominat purgationem. per eas enim expurgantur reliquie peccati. Secundo, quod dicit afflicciones delibare. idè immitti, ut plus fructificemus. Tertiò, quod dicit omnem palmitem sic purgari. Non enim solus es qui affligeris: idem contigit omnibus sanctis: id quod Paulus diffusè probat ad Heb. 11. & 12. cap.

*Triplex con-
solatio pro
fructibus
delibatis.*

2. Ostendit quid vinitor sit facturum palmitibus infrugiferis, hoc est, non ferentibus fructum: nepe, abiiciet eos, quid facturus sit palmitibus infrugiferis. Sic Cain, Ismael, Esau, Saul, Achaz, Herodes, Iudas, hæretici, quum in malicia sua pergunt peruersè viuere, dum sectas confingunt, falsam doctrinam docent, ut Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, &c. abiiciuntur. Tunc enim abiicimur, quum aduersus Deum in tribulationibus fremimus & indignamur, oppugnamus virtutes, studia sancta, blasphemius prosequimur Ecclesiam, sacramenta, opera pia, & omnem creaturam

Vinitor

*quid facturus
sit pal-
mitibus in-
frugiferis.*

Argumentum evidens abiectionis & desertionis diuinae. diris vouemus. Hoc euidēs est argumentū quòd à Deo simus abiecti & deserti: sed ipse neminem deserit, nisi desertus 2. Para. 12. Obseruandum ex terribili hac sententia maximè hoc est, quòd patrem dicit non tantū vepres excisurum, sed etiam quosdā palmites, hoc est, nō tantū ethnicos eiecturū, qui iam igni adiudicati sunt, quia nō credūt, Iohan. 3. Itēque manifestè malos, sed etiā otiosos. Huc pertinet ficus illa sterilis à domino maledicta, Matt. 21. Itēque parabola de alia ficu quā paterfamilias omni anno visitans, &c. semper infructuosam inueniens, tandem excindi iussit, Luc. 11. hinc & Paulus Heb.

Formidolosa & terribilis sententia palmitē infrugiferū à vera vita abiecti, excindi, et saūgi. 6. Terra quæ saepe imbrem suscipit, & tamen spinas germinat, maledictioni proxima est. Deinde terrorem auget quòd dicit omnem palmitem infrugiferum excindendum Nullus enim latere poterit, nec oculos huius agricolæ fallere. Existimasti, inquit, iniquè, quòd ero tui similis, &c. Arguam te, & statuam, &c. Psal. 49. Item Sopho. 1. Scrutabor Ierusalem in laternis. Maximè autem terret quod dicit, Toller eum, hoc est, à Christo seiūget, vt nihil commune cum ipso habeat. quo quid grauius comminari potuisset? Hoc verbo suprà Petrum mirum in modum terruit, vt exclamaret, Domine non tantum pedes, sed & manus & caput, Iohan. 13. Audierat enim à Christo, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Deinde tollere, hoc est, auferet ei humorem gratiæ, vt dictum est, quem acceperat: quemadmodum & seruo infideli pecunia quam in terram defoderat, auferitur, Math. 25. Hoc modo Iudas amisit gratiam quam acceperat. Sic & Iudæi postea omnem Dei gratiam & fauorem amiserunt. Amissa autem gratia quantum malorum sequatur, in Iuda & Iudæis videmus. Demū tollere infructuosum palmitem à gloria & congregatione sanctorū & felicitàte. Sic Isaias 26. ait, Tollatur impius ne videat gloriam Dei. In iudicio enim separabit omnino

Pœna pœnarum est alienum esse à Christo, amittere gratiam, excludi à gloria. oues ab hœdis, Matt. 25. Quanquam igitur nihil adhuc de pœna sensibilis gehennæ dicat. (hæc enim infra quoque explicabit) tamen etiam hic satis pœnarum est, alienum esse à Christo, amittere gratiam, excludi à gloria. Videre igitur hic licet, quòd non sine causa ad Ecclesiā, quæ est vinea domini, vocati sumus. Videmus etiam

pia opera necessaria esse ad salutem. Quòd si sic punitur *di à gloria.*
 qui bonum fructum non facit, quale iudicium eos manet, qui pessimos quosque fructus faciunt? Si in viridi ligno hæc sunt, in arido quid fiet? Luc. 23. Summia: Palmes infructuosus, est fides sine operibus. Sequitur: *infructuosus.*
Iam vos mundi estis. Ne apostoli ex eo quod dixerat, *sus, sine operibus.*
 Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet pater, *Ioan. 13.*
 terrentur, quasi præter Iudam adhuc aliqui excindendi essent, dicit ipsos esse mundos & sanos palmites. Solet enim pium cor ad omnia Dei iudicia contremiscere, & *Cor pii ad omnia Dei iudicia contremiscit.*
 quò generalius proferuntur, eò magis timent ne in se recidant. Sic suprà cùm diceret Christus se ab vno ex *Impius non timet Dei iudicia, domo enim in hoc mundo ad tantam munditiam pervenire potest, ut non necesse habeat dicere: Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. In multis enim peccamus omnes. Hinc & suprà dixit, etiam his qui loti sunt opus esse ut pedes lauent, Iohan. 13. Item quòd pater etiam fructuosos palmites purgat, &c. Mundi autè erant Apostoli, Primò, ab errore incredulitatis. Secùdò, à peccatis mortalibus, licet non omnino à venialibus. Tertiò mundi erant, quia propter fidem in Christum non imputabantur eis peccata: Mundi erant in Christo, & si in seipsis adhuc essent peccatores. Solet enim scriptura credentes appellare sanctos, propter sanguinem Christi quò munda- *Credentes in sacra scriptura appellantur sancti.*
 ti sunt, & spiritum sanctum quem acceperunt. interim autem ipsi se non nisi peccatores iudicant. Hinc Paulus 1. Timoth. 1. Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Attendèdus autem ordo verborum. Primò pronuntiat eos mundos esse: quòd proculdubio summè latificavit corda Apostolorum. Quis enim non optaret hanc vocem audire, remissa scilicet sibi peccata esse? Beati, inquit, (Psal. 31.) quorum remisse sunt iniquitates, &c. Pro hac enim remissione orat omnis sanctus in tēpore opportuno. Quanquam & nos hæc vocem si volumus, possumus audire in absolutione sacramentali, scilicet post confessionem, &c. Verùm ac*

Apostoli hoc vel sibi ipsis vel propriæ iustitiæ aut meritis adscriberent, addit: *Mundi estis propter sermonem*, deum addit, *quem loquutus sum vobis*. ne putemus quemlibet, aut cuiuslibet sermonem mundare. Solus enim sermo Christi mundat, non autem hominis sermo. *Propter sermonem*, inquit, *quem loquutus sum vobis*. Hunc autem sermonem possumus accipere vel eum quem de sua passione & resurrectione fecit, (per hæc enim mundamur) vel eum quo dixit (Iohan. 14.) Ego sum via, veritas & vita. Vel eum quo dixit, *Pacem meam do vobis*. Quid enim est pax Christi, nisi remissio peccatorum: Qui igitur pacem Christi habet, iuste audiunt. *Iam vos mundi estis propter sermonem*, &c. Potest etiã intelligi generaliter de quocunque verbo Dei. Verè enim verbum Dei aut Christi mudat, Mala. 3. Est enim quasi ignis conflagrans, & quasi herba fullo- num. vnde de Christo ibidem dicitur, sedebit conflagrans & emundans argentum, & purgabit filios Levi. Mundat autem verbum Christi, Primò, quia cor concutit peccatoris, vt etiam in medio cursu peccatorum quasi subsistat. Vnde in Ieremia. 2. Verbum meum quasi ignis, & quasi malleus conterens petras. Et Paulus Hebr. 4. Sermo Dei viuus & efficax est, & penetrabilior gladio accipiti. Secundò mundat verbum Christi, quia nos à mundo & ab impijs segregat. Sic verbum Dei Abrahamum eduxit & segregauit à terra & cognatione sua, & domo patris sui, Gen. 12. Hinc Christus Matth. 10. Non veni (inquit) pacem mittere, sed gladium, & separare hominem, &c. Tertiò mundat, quia omnia à nobis vitia amputat, & etiam ab omnibus membris. Neque enim verbum Dei aliquod vitium suffert, quod non reprehendat. Quartò mundat, quia ad omnia bona inducit & excitat. Vnde Dauid Psal. 118. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud, Et iterum Psal. 18. Lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Quintò mundat, quia eum ostendit & ad eum dirigit, qui solus mudare potest. Nò ad lacunas turbidas, sed ad ipsum fontem vitæ & puritatis Christum nos dirigit. Sextò mundat, quia est ipsum in-

Solus sermo
Christi mū-
dat, non ho-
minis.

Verbum Dei
quotuplici-
ter nos mun-
dat.

strumentum & medium per quod spiritus sanctus nobis datur. sic loquente Petro (Act. 10.) Spiritus sanctus cecidisse legitur super omnes qui audiebant verbum. Denum etiam ideo mundat verbum, quia sacramentis dat virtutem mūdandi & sanctificādi alioqui si verbum detrahatur, nihil faciunt sacramenta, imō non sunt sacramenta sine verbo. Accedit enim verbum ad elementum, & fit sacramentum. Detrahe verbum baptismo, & quid est aqua nisi aqua? Igitur etiam in aqua verbum mundat: Hæc Augustinus. Hinc Paulus dicit Ephes. 5. Quod Christus Ecclesiam quidem mundat lauachro aquæ: sed addit, in verbo vitæ. Sic verbum Christi etiam aliis sacramentis vim & efficaciam tribuit, &c. Videmus igitur verū dictum esse, nos mundari propter sermonem Christi. Palam item constat quantus thesaurus sit verbum Dei, & quā cæci simus, qui hunc thesaurū tā nihili pendimus. Hoc itaque verbo & apostolos, omnesque Christianos ad maiora hortatur, cū ostendit eos non frustra sibi inhæsisse, aut sermonem suum audiuisse. Quod si iam tanta acceperunt, quis dubitat eos maiora accepturos si perstant in fide?

3 Tertiō ostendit Christus qui sint præcipui cultus in vinea domini, id est, in Ecclesia Christi: nempe fides, spes, charitas. Vult enim Deus ut ipsum colamus manentes radicati & fundati in fide & charitate in ipso: ita ut hæc charitas non tantū Deum amet, sed etiā in Deo, & propter Deum, proximum diligat. Et qui hoc facit, manet in Christo, estque verus eius palme, & fructum expectatum adfert: ac Christus ei, tanquam viti palme, per charitatem insertus, veritatem diuinam inspirat, inspirabitque quandiu à charitate non exciderit.

2 Doctrina Ecclesiæ, & sacramentorum vsus. Vult Deus, ut Ecclesiam sponsam suam, & matrem nostram, tanti faciamus, ut eius doctrinam & sacramenta veneremur ac suscipiamus, & à Christo in nostram salutem instituta confiteamur. Et verba Christi in illis manent, qui Ecclesiæ filij sunt obediētes, qui doctrinam eius, præcepta, & sacramenta suscipiunt tanquam diuina, & ab ipso Christo mandata, instituta & ordinata.

3 Animorū cōsensus in charitate, fide, doctrina, & mo-

Verbū Dei instrumentum & medium per quod Spiritus S. nobis datur. Verbū Dei dat virtutē sacramētū, sine quo non sunt sacramenta.

Thesaurus ingens verbum Dei.

Cultus præcipui in Ecclesia Christi fides, spes, charitas.

Ecclesia tātis faciēda, ut eius doctrinam & sacramenta veneremur ac suscipiamus.

*Charitas nō
est tumultuosa
nec seditiosa.*

ribus. Vult itē Deus, vt sciamus solam fidē nulli vnquā profuisse, nec profuturā ad salutē, nisi charitatē qua Deus nos diligit, & sui dilectores facit, habeamus: qua iustificamur, qua & Deū super omnia, & proximum sicut nos ipsos amamus. Et qui charitate mutua se amāt, ac manēt in Christo, nō sunt seditiosi, nec tumultuātur, nec odiis intestinis mutuō se prosequuntur. Sed cū Deus charitas sit, & qui manet in charitate, in Deo manet: charitas quā omnia fert, omnia illa mala à corde abiecit.

Et vt ad hāc salutiferam doctrinā capeſſendā prōptiores reddat, pollicetur precū exauditiōē, fructuum abundantiam, scilicet gratiam, remissionem peccatorum & alias virtutes: gaudium perpetuum, iustitiam, pacem, ac tādē coronam immarcescibilem, quam reddet dominus vnicuique pro operibus suis. Hinc docemur insignē promissionem Deū facere iis qui in charitate & ex charitate orauerint: adē vt ei qui ita orat, totū se praebeat.

Sed est notandum quid Christus statim subiiciat, scilicet: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Hinc constat 1. Signum, ex quo possumus considerare num in dilectione Christi simus, necne. Nam quicumque seruauerit mādata Christi, (inquit ipse saluator) manebit in dilectione Christi. Ergo non ineptē inferimus, quicumque non seruauerit mandata Christi, non est discipulus Christi, etsi fidem habeat: sed manebit in ira & odio Christi. Est igitur fidelibus necessaria charitas, & obseruatio mandatorum Dei, vt gratiam Dei domini nostri Iesu Christi adipiscamur, & in ipsa maneamus, & vt veros discipulos Christi nos esse cognoscamus.

*Fides sola
non sufficit
ad conciliā-
dum nobis
Christum.*

2. Elicimus ex hac scriptura, solam fidem non sufficere ad conciliandum nobis Christum, nec ad promerendam eius gratiam, dilectionem & iustitiam: neque eius veros discipulos, neque amicos nos facere.

3. Elicimus hinc, contra scripturas sacras facere atque docere, qui aliter quā per dilectionem, & mādatorum Dei obseruantiam, in Christo fideles manere posse dixerit. Nos igitur si in dilectione Christi & eius gratia manere volumus, seruemus eius mandata, maneamus in ipso, & ipsius verba maneant in cordibus nostris, quā

uiuens dixit discipulis, & discipuli nobis tradiderunt, de Ecclesia & eius capite, & authoritate, & hierarchico ordine: vt seruatis hęc mandatis, vitam possimus consequi æternam. Amen.

EPILOGVS.

I Congrua valde & opportuna similitudine docet Christus se ea bona quę in patre suo possidet, & quę per crucem meruit, nempe, victoriam peccati, mortis, diaboli, &c. remissionem peccatorum, iustitiam, salutem, &c. non sibi soli retinere, sed credentibus velle communicare, dicens, Ego sum vitis vera, &c. Quod (vt ait B. Augustinus) dicit secundum quod est caput Ecclesie, nōque membra eius, homo Christus Iesus. Vnius quippe nature sunt vitis & palmites. Propter quod cū esset deus, cuius nature non sumus factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus.

2 Verbo Christi mundamur, & obediendo veritati per Spiritum sanctum cum charitate fraterna, Malach 3.

3 Sine operibus nemo potest esse in Christo, O felices eos qui Christi palmites sunt, & ipsi per fidem & charitatem se insertos cognoscūt, quique intelligūt, nihil gratie, nihil virtutis, nihil boni se habere, quod non à vite Christo proueniat. Recensentur item reprobatio & pœna auertentium se à Christo, cū dicit mittetur foras, arefcet, in ignem mittetur vt inutilis palmes, & ardet.

In festo B. Marci Euangelistę, Epistola
& Euangelium reperientur in festis di-
uorum inter Pascha & Penteco-
sten occurrentibus.



OC festo celebratur Romę Litania maior, *Litania du-*
vt potē in maiori loco, scilicet Romę & à *plex maior,*
maiori, puta Gregorio magno, necnon quia *& minor.*
pro magno & grauissimo morbo pellendo
piē instituta est. Alia quę diebus rogationum fit, dici-
tur Litania minor, quia in minori loco scilicet Vienna
& ab humiliori Episcopo, B. nempe, Mamerto tempore
Clodouæi regis inuenta fuit, ad varia quum rerum, tum
corporum & animarum pericula euadenda. Hęc Aui-
tus archiepiscopus Viennensis, quem Ginnadius nomi-

nat inter viros illustres, & fuit B. Mamerti successor. Vtraque iam per totam Ecclesiam recolitur, & quod olim sanctè animo conceptum fuit, hodie Psalmis ac precibus sancta mater Ecclesia inclamat.

*Litania
quid inter-
pretetur.
Litania fun-
data est in
sacris literis.*

Litania græcè apud nos supplicatio seu rogatio est, & fundata, &c. Luc. 18. Vbi dicitur, Oportet semper orare, & non deficere. Item. 1. Thessal. 5. cum Apostolus dicit, Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: Hæc est enim voluntas dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Nam si semper est orandum, certè etiam tum est deo supplicandum cum obedientiæ sacramento ad hoc obsequij genus inuitamur. Quod bonum est tenete, ait Apostolus. 1. The. 5. Pessimè ergo Apostolastri Litanias, Aduentum, Ieiunium quadragesimale, Parasceuem & hoc genus pias institutiones abrogant, Bacchanalia verò, martinialia conuiuia, Pentecostales computationes, pistic iocos, & arcus exercitia & plurima id genus pessima prorogantes. Præposteri hi planè reformatores abusu sibi censuram vsurpant, noctem vertentes in diem, & tenebras in lucem. Vnde nec alios suos habent admiratores quàm tenebrarū filios. At filij lucis norunt Litaniam esse maiorem quàm in die s. Marci peragitur, & est à s. Gregorio summo pontifice Romæ instituta: esse etiam minorem quæ certis diebus, rogationum dies, appellatis exigitur, & esse in Galliis institutam à s. Mamerto Viennensi archiepiscopo. Perquàm necessarium esse arbitror vt catholici istis diebus exhortentur, vt Ecclesiæ hunc, scilicet, supplicandi ritum perpetuare studeant. Perpetuabunt tunc potissimum cum ipsum ab omni abusu vindicauerint. Abusus est, sine verbi dei prædicatione vtrò citròque cursitare garriendo, ridendo, vociferando, &c. Cantui qualicumque plurimum, declamationi verbi nihil tribuere, Garrulitas levis vulgi, & hoc genus abominations nulla censura leuissimi cleri possunt cohiberi. Verbum dei gladius est, etiam ipsas penetrans ossium medullas. Huius sedula denuntiatione possunt tam cleri, quàm plebis abusus corrigi, cum etiam eo Antichristus denique sit conficiendus. Optimus supplicandi modus necnon impetrandi docetur Ioelis 2. cap. Canite, inquit, tuba in Sion, sanctificate

*Præposteri
reformato-
res heretici.*

ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, cōgregate paruulos & sugentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & spōsa de thalamo suo, Inter vestibulum & altare plorabūt sacerdotes ministri domini, & dicēt, Parce domine, parce populo tuo, &c. Vide & lege etiam Ionæ 3. cap.

IN FERIIS PHILIPPI ET IACOBI
APOSTOLORVM EPISTOLA.

*Stabunt iusti in magna constantia aduersus Sapien. 5.
eos qui se angustiauerunt, &c. Finis Epistolæ: Et
inter sanctos fors illorum est.*



Ac lectione docemur duo. Primò, quod sit discrimen inter piorum & impiorum vitam. Pij in hoc mūdo variis circumagūtur exercētūque tentationibus, molestiis, tristitiis, afflictionibus, miseriis. Spectacula sunt mundo & angelis, omniū peripsemata & reiectacula. 1. Cor. 4. Tota die morri destinantur, non secus atque oues abducuntur ad occisionem, Psal. 43. Exemplo sunt Lazarus, Luc. 16. Naboth. 3. Reg. 21. Impij contra hīc summa fruuntur pace, tranquillitate, lætitia, voluptate, & omnium rerum breuiter abundantia. Hi adeò non affliguntur vnquam, vt ab omnibus etiā maxima vi defendantur. Imò vsque adeò rerum potiuntur passim, vt nemo illis, si maxime velit possit vim inferre. Exemplo sunt, diues ille epulo, Achab, Iezabel, &c.

*Vita piorū
& impiorū
in hoc seculo
dispar.*

2. Secundo docemur quis & qualis futurus sit finis piorum & impiorum, qualēque sortem accepturi sint post hanc vitam. Audiamus de vtrisque Paulum. 2. Thess. 1. sic differentem: Nos ipsi (puta Apostolus & Syluanus) de vobis gloriamur in Ecclesiis dei de tolerantia vestra & fide, super omnibus persecutionibus vestris & afflictionibus quas sustinetis, documentum iusti iudicij dei, vt digni habeamini regno dei, pro quo & patimini. Siquidem iustum est apud Deum, reddere his qui affligūt vos, afflictionem: & vobis qui affligimini, relaxationem nobiscum, cum reuelabitur dominus Iesus de cælo cum

*Sors & finis piorum
& impiorū.*